tere, quod Ecclesiæ Catholicæ Pastores atque Doctores credendum definierint. Ceterùm, si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit Christus ipse, sicut ethnicus & publicanus: non enim habebit DEum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.

CAPUT II.

DE SPE ET ORATIONE DOMINICA.

Quid est spes?

VIrtus est divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis & æternæ vitæ bona exspectantur. Rom. 5. & 8. 1. Petr. 1.

Unde modum rectè sperandi & petendi discimus?

Ex oratione Dominica, quam Christus ipse Dominus & Magister noster ore suo sacrosancto tradidit & præscripsit. Matth. 6. Luc. 11.

Recita per partes orationem Dominicam.

Prima petitio.

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.

Secunda.

Adveniat regnum tuum.

Tertia.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

Quarta.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quinta.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Sexta.

Et ne nos inducas in tentationem.

Septima.

Sed libera nos à malo, Amen.

Quid sibi vult initium hujus orationis?

Pater noster, qui es in cœlis.

Præfatiuncula, quæ nos memores reddit summi bene- Rom.

Gal. 4. Eph. 1. beneficii, quo DEUS Pater per Christum nos sibi in filios adoptivos, & hæredes cooptavit. Atque hoc dulci Patris nomine provocamur, tum ad eum redamandum, tum ad precandum magna cum fiducia.

Quid explicat prima petitio?

Sanctificetur nomen tuum.

Matth. 5. 1. Cor. 10. 1. Petr. 1. Proborum filiorum iustum & liberale desiderium; hi petunt semper & ubique in se, aliisque promoveri cognitionem, timorem, honorem, amorem & cultum æternæ Majestatis, & quidquid demum ad summi optimique patris gloriam spectat.

Quid secunda petitione agimus?

Adveniat regnum tuum.

Sap. 5. Matth. 6. & 8. Coloss. 1. Petimus gloriam regni cœlestis, æternæque felicitatis nobis donari, ut citò cum Christo in sempiternum regnemus.

Quid tertiâ?

Fiat voluntas tua.

Luc. 22. Act. 21. Hebr. 13. Petimus divinæ gratiæ nobis opem adesse, ut patris voluntatem in terra, sicut beati omnes in cœlo faciunt, sincerè, alacriter & constanter adimpleamus.

Quid quartâ?

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Psalm. 144. Prov. 10. & 30. Matth. 4. & 6. Joan. 6. Petimus suppeditari nobis, quæ ad vitam, sive corporis, sive animæ fovendam & sustentandam spectant, ut victum & vestitum, verbum DEI, & Ecclesiæ Sacramenta.

Quid quintâ?

Et dimitte nobis debita nostra.

Matth. 6. & 18. Marc. 11. Petimus veniam ac remissionem peccatorum, parati vicissim remittere, quod in nos alii peccaverint.

Quid penultimâ;

Et ne nos inducas in tentationem.

Matth. 26. 1 Joan. 2. Coloss. 3. 1. Petr. 5. Petr. 2. Petimus in hac tanta vitæ imbecillitate divina virtute fulciri, atque adversus Mundum, Carnem, Dæmonémque defendi; ne quocunque modo tentationi succumbentes peccato consentiamus.

Quid

Quid septima & postrema petitione?

Sed libera nos à malo.

Petimus DEI benignitatem, quâ ipse nos liberet, & vindicet à miseria tum corporis, tum animæ, sive in hac vita, quoad saluti nostræ congruit, sive in futura. Et additur *Amen*, hoc est: fiat sive fiet, ut spem desideriúmque monstremus accipiendi ea, quæ septem his petitionibus continentur. Psalm. 49. & 33. 2. Cor. 1. 2. Cor. 1. 1. Joan. 5.

Quæ summa est priorum orationis hujus petitionum?

Priores quatuor ostendunt, quæ hìc bona sperare ac petere debeamus: inter quæ primum ac summum est Divinæ Majestatis honor & gloria: proximum nostra felicitas: huic accedit DEO debita obedientia: Postremum est corporis animæque sustentatio necessaria. Hæc summatim continentur prioribus quatuor.

Quæ summa est reliquarum petitionum?

Tres posteriores continent mala, quæ deprecari debeamus: ùt sunt peccata, quæ nobis DEI regnum præcludunt; tum tentationes, quæ, nisi ope divina protegamur, sua vi ad peccandum nos pertrahunt; ac postremo hujus ac futuræ vitæ calamitates. Docet igitur Dominica precatio simul & bona petere, & mala deprecari.

Quomodo salutationem Angelicam recitas Virgini Matri? Luc. 1. Chrysost. in Liturg. Aug. Serm. 2. de Annunc.

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS. Sancta Maria, Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

Unde hic modus Deiparam Virginem salutandi profluxit? Ambros. epist. 81. Hieron. in Helvid.

Primùm ab exemplo Angeli Gabrielis, & sanctæ Elisabethæ; deinde ex usu ipso, & consensu Ecclesiæ Catholicæ.

Quem verò fructum adfert hæc salutatio? Athanas. in Serm. super Evang. de sanctiss. Deipara.

Sacrosanctæ Virginis, & Dominicæ incarnationis gratam, & æquè salutarem nobis refricat memoriam; ac præterea monet, ut gratiosæ Virginis favorem, atque apud DEUM intercessionem nobis conciliemus.

Quid discimus ex hac salutatione? Fulgent. Serm. de laud. Mariæ ex partu Salvat.

Eximias dotes ac laudes incomparabilis Virginis; ùt

quòd DEI donis ac virtutibus ampliſſimis referta, quod eadem Virgo & Mater, quòd inter omnes omnium temporum mulieres benedicta, quòd Regis Regum Chriſti DEI & Domini noſtri parens, proinde inventrix gratiæ, ac genitrix vitæ nobis extitit.

CAPUT III.

DE CARITATE ET DECALOGO.

Quid eſt Caritas?

Matth. 22, Luc. 10. INfuſa à DEO virtus, quâ DEUS propter ſe diligitur, proximus autem propter DEUM.

Quot ſunt Caritatis præcepta?

Deut. 6. Matth. 22. Duo principalia: Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis: hoc eſt primum & maximum mandatum; ſecundum verò ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his præceptis univerſa Lex pendet, & Prophetæ.

Quo indicio ſe prodit Caritas erga Deum?

1. Joan. 5. Joan. 14. Si ejus obſerves mandata. Hæc eſt enim caritas DEI, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt. Et Chriſtus ipſe docet: qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.

Quomodo ſe prodit & agnoſcitur caritas erga proximum?

1. Cor. 13. Phil. 2. Caritas patiens eſt, benigna eſt, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

Cur præcepta Decalogi decem proponuntur?

Etſi duo ſint caritatis præcepta, in quibus plenitudo Legis verſatur; tamen præcepta Decalogi idcirco adjiciuntur, ut perſpicuè magis omnes intelligant, quæ ad caritatem tum DEO, tum proximo exhibendam pertinent.

Quæ